Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1025
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



sponte moriebatur ut peccator uiueret. heu. qui tam ad
mirabili tam inestimabili pietate presens
obstupescere non merui. Cur o anima mea
te presentem non transfixit gladius doloris acu
tissimi. cum ferre non posses uulnerari lan
cea tui saluatoris latus. cum uidere nequi
res uiolari. clauis manus & pedes tui plasma
toris. cum horreres effundi sanguinem tui
redemptoris. cur non es inebriata lacrimarum
amaritudine. cum ille potaretur amaritu
dine fellis. Cur non es compassa sanctissime
uirgini. dignissime matri eius. benignissime
domine tue. Domina mea misericordissima. quos fon
tes dicam erupisse de pudicissimis oculis. cum
attenderes filium tuum unicum innocentem coram
te ligari. flagellari. mactari. Quos fluctus
credam perfudisse piissimum uultum. cum suspice
res eundem filium & dominum. & dominum tuum. in cruce
sine culpa extendi. & carnem de carne tua
ab impiis crudeliter dissecari. Quibus singul
tibus estimabo purissimum pectus uexatum esse